



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

Epistola XVII. Alexandri Papae III. Ad Omnes Episcopos Angliae. Eiusdem
argumenti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

260 ALEXANDRI PAPÆ III.

auctore Domino , ratam & firmam habebimus , & totam causam eius tuæ discretionis arbitrio duximus relinquentem : quod inde canonice feceris , ratum , cessante appellationis obstaculo , habituri .

EPISTOLA XVI.
ALEXANDRI PAPÆ III.
AD EVMDEM.

De consuetudinibus Anglicanis a se confirmari petitis.

Alexander episcopus Cantuariensis archiepiscopo salutem & apostolicam benedictionem.

Novit industria tua , quam feruentem dispositionem circa regni sui gubernationem carissimus in Christo filius noster Henricus , illustris rex Anglorum impendat , & eamdem ut firmior habeatur , vult auctoritate Romanæ ecclesiæ roborari , petens ut antiquas regni sui consuetudines , & dignitates conseruemus illæfas . Item cum legationis officium totius Angliae postulasset instantius , Eboracensi archiepiscopo indulgeri , pensantes tempora periculosa , legationis literas præfato archiepiscopo concedendas eidem regi concessimus , licet antequam inclinaremur ad consensum , nuntii eius nobis in verbo veritatis promiserunt , & super hoc iuramentum obtulerunt , quod nunquam sine voluntate vestra literæ Eboracensi archiepiscopo redderentur .

EPISTOLA XVII.
ALEXANDRI PAPÆ III.
AD OMNES EPISCOPOS ANGLIAE.

Eiusdem argumenti.

Alexander seruus seruorum Dei omnibus episcopis Angliae salutem & apostolicam benedictionem.

QVAM QVAM ex iniuncto nobis officio , de vniuersorum iure in sua integritate seruando , curam tenemur & solitudinem gerere , ad illorum iusticias , qui in parte solitudinis nobis commissaæ a Domino sunt voca-

ti, quanto in gradu sublimiori existunt, tanto frequentius retorquere debemus, & super his maiorem diligentiam & curam propensiorem habere. Hac siquidem consideratione inducti, fraternitati vestrae per apostolica scripta præcipiendo mandamus, & in vi obedientiæ iniungimus, quatenus super his, quæ ad ecclesiæ Cantuariensis iura, dignitates, aut etiam libertates spectare noscuntur, vos sine conscientia & assensu venerabilis fratris nostri Thomæ eiusdem ecclesiæ archiepiscopi intromittere nullatenus præsumatis, nec occasione appellationis, quam contra eum ad nos fecistis, id aliquatenus attentetis. Quod si aliquis vestrum contra hoc præceptum nostrum quolibet ausu venire præsumperit, ita in eo excessum istum studebimus, Domino auctore, grauiter vindicare, quod pœna docente, cognoscet, quam periculosem fuerit apostolicis contraire præceptis. Datum Laterani quinto Kalendas Februarii.

E P I S T O L A XVIII.

ALEXANDRI PAPÆ III.

A D T H O M A M C A N T V A R I E N S E M
A R C H I E P I S C O P U M.

Delegatione in Angliam missa.

Alexander seruus seruorum Dei dilecto fratri Thomæ Cantuariensi archiepiscopo salutem & apostolicam benedictionem.

QUOD personam tuam literis nostris non sæpius visitamus, inde prouenire cognoscas, quod per nuntios tuos ea quæ non duximus scriptis committere cognitioni tuae viua voce curauimus frequentius intimare. Nunc autem ad tuae discretionis notitiam volumus peruenire, quod nos pacem tuam votiuis cordis affectibus exoptantes, dilectos filios nostros, Vvilielmum tituli sancti Petri Ad vincula presbyterum, & * Odonem sancti Nicolai in carcere Tulliano diaconum cardinalem, ad carissimum in Christo filium nostrum illustrem Anglorum regem, vt legatione in terra sua cismarina fungantur, transmisimus; & specialiter, vt inter te & eumdem regem concordiam &

K k iij